



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Idololatria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

I.

Idololatria.

Vide v. Decalogus, Superstitia.

1. **I**dololatria (sic dicta ab ido'lo) est peccatum, quo honor seu cultus Dei tribuitur creaturæ, estque peccatum gravissimum ex suo genere; ita ut ab hoc peccato non excusetur metu mortis, imò neque ignorantia; quia recta ratio evidenter dicit non esse colendam creaturam loco Dei. *tom. 1. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. q. 5. punct. 2. nu. 1. & seq.*

2. Ficto animo colens idolum metu mortis, peccat, & committit idololatriam externam, quæ intrinsecè mala est *ib. n. 5.*

Ieiunium.

Vide v. Peccatum.

1. Jejunium Ecclesiasticum est voluntaria abstinencia à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Dicitur jejunium abstinencia à cibo, qui principaliter institutus est contra famem, sive cibus sit densus, ut panis, caro, &c. sive liquidus, ut lac, jusculum, amidum amygdalarum, &c. & non sumitur per modum medicinæ, vel ad conservandam vocem, vel pellendum oris foetorem. *tom. 1. de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. quest. 1. punct. 1. n. 6. & 7.*

2. Qui sapius bibit in die jejunii ad expellendam famem, non peccat mortaliter contra præceptum jejunii; fieri tamen potest, ut delictum committat contra temperantiæ virtutem, detque causam ebrietati, quæ, per se loquendo, intrinsecè mala est. Tunc autem cognoscitur quis esse ebrius, quando ratio intercepta est, & prudentia ita consopita, ut vino temulentus non advertat quid agat, & bonum à malo non discernat. *ib. n. 4. & 8.*

3. Tempore jejunii abstinendum est à carnibus. Per carnes autem intellige illas, quæ à piscibus contradistinguntur, juxta communem Christianorum usum aut Medicorum judi-